

1667.

1. Beckmann, Joh. Volk: De verum alienatione libera.
- 2^{9 et}₃ Beckmann, Joh. Volk: De privilegiis mulierum. 2 Suppl
An. 1689-1745
3. Beckmann, Joh. Volk: De quartis
4. Beckmann, Joh. Volk: De jure stultitiae
5. Beierus, Adrianus: De confessione et infirmitate laeta.
6. Beierus, Adrianus: De silentio et secretitate
7. Beierus, Adrianus: De consensu tacito.
8. Beierus, Adrianus: De dissensu tacito.
- 9^{et}₁₀ Falcner, Joh. Christophorus: De jure impuberum singularibus. 2 Suppl. 1667-1735.
11. Falcner, Joh. Christophorus: De immuni latetibus.
12. Falcner, Joh. Christophorus: De jure iuris

13. Fridericus, Ottaurus : De Tabaco
14. Mueller, Jo. Jacob : De cereis Saturnalitiis
 aliquae ique lustrico et aliis nonnullis
15. Muellerus, Philippus : De legibus.
16. Muellerus, Philippus : Machiavelles sive Follicus
 de plagis dominationis.
17. Nicolaus, Fridericus : De principiis majestatem
dirigentibus actualibus.
18. Richter, Christoph Philippus : Decus quae
hominum iustitiam.
19. Richter, Christophorus Philippus : De actionibus
mixtis.
20. Schmidtius, Joannes : Inegesis examinis Scholasticis
 mi. Saec. I.
21. Schmidtius, Joannes : De antichresi.

22. Schmus' Schmus, Johannes: De conatu


cus

es.

lus

id.





1667, 18

3, 410

~~34~~ 19

185

Felicitante Christo!

DISSERTATIO JURIDICA.

Continens

DECADEM
QUÆSTIONUM ILLU-
STRIUM,

Quam

Permissu Inelytæ Facult: Jurid:

SUB PRÆSIDIO

DN. CHRISTOPH. PHILIPPI

REGENTIS Jcti, Com. Pal. Cæs.

Consil. Saxon. Prof: Publ. Facult: Jurid. Ordinarii,

Curia Provinc. ac Scabinatus Adlefforis

graviss.

*Dn. Patroni atq; Doctoris sui etatem vene-
randi, prosequendi,*

Publicæ Eruditorum Ventilationi exponit

IOHAN-LEONHARD. A. PÜSCHEL

AUTOR.

D. Novemb. Ao. c1o lpc LXVII.

J E N Æ,


Literis JOHANNIS VVERTHERI.

E. M. Richter Summa graviss. illu. R.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and includes names such as "D. G. A. B. E. M." and "D. J. O. H. A. N. N. I. S. V. E. R. T. H. E. R. I. C. I. U. S.".





Q. D. B. V.

PRÆFAMEN!



Ulpam Imputativam, L. B. sequi nunc deceret Justitiam, quæ aliundè nobis solet imputari, si fidem publicè datam apud Te liberare & inconstantia Reatum effugere vellem. Verum non una est, quæ me defendere posset, ratio, quam, nisi in Academiis libertatem, & dicendi quid velis facultatem jure qs. privilegii concessam esse post Te, ipse quoque rescirem, allegare in promptu haberem. Sufficiat præterea, quod tandem illos, quos privatos intra parietes hætenus fovi scrupulos, auxiliò publicò eximi mihi efficiam: Id enim est, cur argumentum istud hæc vice meum facere, & in variis ex juribus variis non infimæ notæ disquisitionibus ingenium exercere volui, debui. Non ignoro equidem multos fore, quibus hæc opera & labor meus ideò debeat Satyram, quod potius sibi quid fecisse videbuntur, si Thema integrum, consarcinaverint. Ego, quicquid est, quod magnum conantur, illis haud invideo, constet cuius sua voluptas, sit cuilibet suum, pulchrum, sit modò & mihi, qui candidi Censoris judicio fretus, plura præfari insuper habeo, nihil verò prius in votis & suspiriis, quam ut hisce meditationibus meis Numen ex alto propitium conciliare valeam.

Esto igitur

A 2

QUÆST.

QUÆST. I.

An Introductio Apanagii in-
quibusdam Principum Ger-
maniae Familiis sit approban-
da, nec æquitati dissenta-
nea? Resp. Aff.

Egregia sunt verba Jcti illius acutissimi Ulpiani in *l. tempori-
bus. l. §. sed §. 13, de ventre inspici. Publicè interesse,
ut ordinum dignitas, familiarumque sal-
va sit.* Hæc necessitudo, si in privatis tam anxie requiritur,
quando magis publicè intererit, ut publicis familiis suis semper
constet splendor, atque integritas, utpote è quarum conservatione
maxima in Rempublicam redundat utilitas. Inter modos autem,
quibus conservatio ista obtineri potest, principem ferme locum
tenet APANAGIANDI Jus, quo nim. disponitur, ut si in quadam
familia plures existerent heredes, unus tantum & quidem Primogenitus
regulariter, dominium bonorum à Defuncto relictorum,
plenissimè consequatur, reliqui verò alimentione commoda vi-
vant contenti. Hujus Juris primam originem quod spectat, eam
quoad rem ipsam antiquissimam esse, nemo forsan est, qui ambigat.
Si verò originem vocabuli consideremus, meritò eandem Gallis
adscribimus. Cum enim antiquitus in Familia Francica Regum
filii æqualiter, nullo Primogenituræ habito respectu, succederent;
HUGO CAPET. autem, tertiæ familiæ fundator felicissimus, ani-
madverteret, divisiones illas multijugas non modò familiæ obscu-
rationem, sed & totius Regni corruptionem tandem adferre: Ideo
periculo huic remedendo, consiliò sanè prudentissimò disposuit,
ut

ut posthac Primogenitus Filius unicè ac solus Regni scepra tene-
ret, cæteri verò ipsum sequentes assignatione alimonix provision-
nalis acquiescerent. Et hoc jus, si à tempore Caroli M. fuisset
observatum, Imperium Francorum, *uti scriptor quidam Gallicus*
refert, suffecisse debellando orbi. In propatulo namque positum
est, nihil adeò magnum esse, quod si per plures dividatur partes,
non fiat quasi nihil, & historiarum monumenta prolixè testantur,
multa Regna & Imperia per divisionem in prædam venisse, quæ
per unitatem aliàs stetit intacta. Hinc Principes quidam
Germaniæ nostræ fortissimi probè ponderantes, ne propter cre-
bram divisionem aliquando idem & illis contingat, posterique eo-
rum multiplicatione prolis & accedente temporum serie Duces
audiantur sine Ducatu, Marchiones absque Marchionatu, adeoque
non solum familia obscuretur, verum etiam Reipubl. vires gravi-
ter diminuantur, prælaudatum Apanagii Jus Pactis Familiæ intro-
dixerunt, & quo successores ipsorum Dispositionem hanc saluber-
rimam strictè observarent, nec ab ea unquam recederent, Autori-
tate Cæsarea illam confirmare consueverunt. Ex quo fluit, si Pri-
mogenituræ Jus, quale nim. in Elector: obtinet, ad cæteros Prin-
cipatus sit extendendum, non necessum fuisset, singulare Imperato-
ris indultum exigere, aut de Electoribus Specialem aliquam legem
fancire. Cæterum quantum utilitatis adferat constitutio ejusmodi
recepta, exemplo instar omnium esse potest, SERENISSIMA DO-
MUS BRANDENBURGICA. Hæc enim propter dispositionem Fa-
miliæ ab ALBRECHTO, Electore Brandenburgico anno 1473. itemq;
aliam à FRIDERICO Marchione Brandenb. anno 1507. factam,
strenueque hætenus observatam, in tantam excrevit potentiam,
ut cæteris Imperii Statibus non modò palmam faciat dubiam, ve-
rum etiam exteros Reges ac Respublicas in sui amicitiam atque ve-
nerationem trahat. *Summa verò dispositionum prædi-*
ctarum talis est: Si nim. contingat, ut Elector tres, quatuor,
aut plures filios post se relinquat, tunc Primogenitus Electoratum
cum reliquis Provinciis adjacentibus solus possideat, Duo sequen-
tes filii Principatū Superiorē & Inferiorē Burggraviatus Noriber-
gensis accipiant, reliqui autē omnes portione annali, quæ est. 6000.

Reichthal, sint contenti. Neque modernus Elector potentissimus, FRIDERICUS WILHELMUS, per *Testamentum* conditum, & à S. CÆS. MAJ. in Comitibus Ratispon. an. M. D. C. LXIII. confirmatum, præmemoratis Familiæ pactis quicquam detrahit; Quamvis enim Filio suo Secundogenito Principatum Halberstadiensem cum Præfectura Egeln/ Apanagii loco, ob rationes ibi allegatas urgentissimas, constituerit; attamen verba illa in dispositione adjecta: *Salvis de cætero Pactis Familiæ quoad successionem*, satis ostendunt, in quantum videl. ab antiqua observantia recedere voluerit. Et hoc Apanagii Jus si apud omnes Principum Germaniæ Familias in usu esset, & ita Principatus indivisi manerent, longè formidabilior, *juxta opinionem historici cujusdam famigeratissimi*, esset virtus ejus, quam sit modo, quum multis partibus sit dimembrata. Sed hæc de utilitate Apanagii proposuisse sufficiat: Consequens nunc est, ut breviter quoque in istius æquitatem inquiramus, quæ prima quidem fronte maximè iniqua videtur, idque ex rationibus sequentibus: I. Quod ipsa natura suadeat, imò quasi imperet, ut illi, quos produxit æqualiter, quiq; ex eodem sanguine progeniti, communem ortum, Parentes atque Domicilium habent, æqualiter quoque succederent, ad cujus uberio-rem illustrationem eleganter faciunt verba LEONIS IMPERATORIS in Nov. 19. propè fin. *Quin imò nec illud consentaneum est, ut Parentes iis, qui pariter ex ipsis nati sunt, non parem curam exhibeant, neq; æquabiliter ipsorum vitæ prospiciant, sed alios quidem uberiores facultates habere, aliis verò nihil parcere, neq; illorum misereri, tametsi inopes in miseria victuri sint, velint. Cæterum æquum est, ut quemadmodum omnibus liberis ex æquo vitam impertiti sunt, ita etiam ad hanc facultates impertiantur: nequaquam verò velut ancipiti libra bis levius quiddam, illis verò gravius, pro inæquabilitate animi sui attribuant.* II. Quod per talem inæqualitatem occasio detur ad discordias atque lites, quæ tamen modis omnibus sunt evitandæ, cum aliàs secundum illud vulgare: *Fratrum concordia rara*, & hanc ob causam etiam JUSTINIANUS noster Sacratissimus æqualitatem successionis inter liberos commendat, *l. cum inter 6. §. non autem 2. in f. C. de bonis quæ liber. ut scilicet in omni pace successio inter eos permaneat, nec*

alte-

altercationis cujusdam (maximè inter fratres) oriatur occasio.
 III. Quod valdè periculosum sit, unico heredi Principatum totum aut plures interdum conferre, & reliquis alimenta solùm præbere, cum eò ipsò fieri posset, ut tales Apanagiati à matrimonio contrahendo abstineant, & sic propter defectum Sobolis universa familia non sine ingenti forsitan Regionis detrimento interire cogatur. Verùm, quòd rationes, & quidem pro negativa sententia stabilien- da allegatas attinet, &c. Illas eatenus procedere, si de successione Privatorum quæstio sit instituta, utpote in quibus solùm æquitas nativitatis & Fratrum concordia spectatur; Secus autem se res habet in successione Principatum, quæ non ad normam J: Com- munitatis, sed singularis est metienda, & hinc diversus quoque oritur succedendi modus. In hac enim Caput Deliberationis esse debet, SALUS REIPUBLICÆ, quæ nisi pugnet cum dictamine rectæ ra- tionis, jureque divinò, semper præsupponenda. Cum verò magis expediat Provinciæ, ut indivisa maneat & ab uno regatur, ideoque evidentissimè sequitur, Apanagii Jus æquitati neutiquam esse con- trarium. *Ultimam* denique *rationem* ab interitu fami- liæ desumptam quod concernit, neque ista etiam tanti roboris est, ut assertionem nostram infringere valeat. Præsupponimus enim, *secundum antea proposita*, tale Apanagium, quale ejusmodi Prin- cipi conveniens, & unde se cum suis commodè sustentare potest. Quod si verò eveniat, ut Apanagiati illi in tantum excrescerent numerum, cui portio assignata non sufficeret, tunc, quia cessat pe- riculum, non damnosum Familiæ, nedum Provinciæ esse judicamus, si reliqui à matrimonio contrahendo abstineant. Manet itaque ve- rissimum, introductionem Apanagii in quibusdam Principum Germaniæ Familiis non esse improbandam, sed potius omni laude prosequendam.

QUÆST. II.

An Realis aliqua sit differentia
 inter Freye-und Reichs-Städte?
 Resp. Aff.

Ma-

Magna inter J. Publici Scriptores disceptatio agitur, an nim. positio illa, Freye und Reichs Städte / importet differentiam aliquam realē, & unde illa sit petenda, an verò solummodò verbalem. Qui prius asserunt, in diversas abeunt sententias: Quidam enim differentiam illam ab immunitate Tributorum aliorumve Imperii onerum desumunt, Alii ab Insigniis, easq; vocare solent Freye Reichs-Städte / quæ nullam aquilā in insigniis habent; Simpliciter verò Reichs-Städte: quæ totā aquilam, vel saltem partem ejus gerunt. Alii denique eas Freye Reichs-Städte appellitant, quæ ab ævo nullum alium Superiorem præter Imperatorem agnoverunt; Reichs-Städte autem simpliciter, quæ aliis quidem subjectæ, postmodum autem exemptæ & immediatè Imperio fuerunt subjectæ. Verùm cum differentia ista partim sint accidentales, partim in effectu convenient, ideoque illas reales esse, neutiquam statuendum. Qui posteriori opinioni, quod videl tantum verbalis sit differentia, subscribunt, illi hanc afferunt rationem, quod omnes Civitates immediatè perfruantur subjectione, nec jugo alicujus Principis sint subjectæ, sed solum Imperatorem Superiorem recognoscant. Et licet una vel alia majoribus privilegiis sit honorata, inde autem differentiam Realem evincere velle, perquam absurdum esse Nos tamen, ut priori opinioni calculum nostrum adjiciamus, sequentes movent rationes. 1. Quod minimè probabile sit, talem positionem frustra fuisse introductam, inque omnibus Imperii Recessibus hætenus observatam, nisi etiam Realis differentia veniat indigitanda. Quo verò id ipsum eò certius constet, origo prædictæ differentia à probatæ fidei Historico quodam est desumenda. Inter illos autem, qui primum Reipubl. nostræ statum delinearunt, non infimo loco ponendus *Christoph. Lehmannus*, qui in *Chronico suo Spirensi Lib. 4.* ortum hujus differentia latè pertractat, & in *cap. 5. §. ult.* illustri exemplo declarat, dum de Civitate Spirensi ita scribit: Demnach aber Keyser Heynrich der V. die beständige getreue Dienste / so die Stadt Speyer seinem Vater und Ihme in ihren vielfältigen Wiederwertigkeiten erzeigt / reifflich beherzigt / und solche mit Keyserl. Milde zu

de zuvergelten / und hierdurch die Stadt und Bürgerschaft zu desto
steifferer Beharrung ihrer Treu zuverbinden billich und nützlich er-
achtet / hat Er mit gehabtem Rath und Bewilligung Geistlicher und
Weltlicher Fürsten / Graffen / und Ständen des Reichs / wie sol-
ches aus damals zugleich ertheilten zweyen Privilegiis inspüren /
einem Rath zu Speter / den die Bürgerschaft aus Keyserl. Befehl
erwehlt / alle hohe freifliche und nieder Obrigkeit / sampt allen ge-
fällen / Nutzungen und Einkommen der Stadt im Nahmen eines
Keyfers und des Reichs zuverwalten / einzunehmen / zunutzen und
gebrauchen / hierin auch alle das fürnehmen / zuthun und zuver-
richten / was die Keyserl. und des Reichs Beamte in verrichtung
ihres Ampts fürnehmen / thun und handeln sollen und können /
anbefohlen / übergeben und eingeräumt / und hiemit die Stadt
aus einer Reichs = Stadt zur Keyserl. und des Reichs
Freyen Stadt erhoben / &c. Ex quibus præmissis apparet,
eam Civitatem fuisse denominatam eine Freye Reichs-Stadt /
quæ jura jam jam allegata obtinuit ; Quæ vero illis fuit desti-
tuta , simpliciter eine Reichs-Stadt appellata. Hinc 2. dici-
mus, quod licet quoad immedietatem nulla inter eas sit diffe-
rentia , attamen cum præter effectum istum Statibus Imperii,
quales merito & Civitates habentur , certa quædam jura , non
quasi per accidens , sed tanquam essentielle aliquod , regulariter
inhæreant & competant, uno vel pluribus eorum deficientibus dif-
ferentia non verbalis sed potius Realis erit statuenda. Pro sta-
bilienda a. sententia nostra tale inferimus ratiocinium: *Quacumq;*
Civitas non gaudet Juribus antea memoratis , ea ab altera realiter
est diversa ; Atqui quedam Civitas Imperialis non gaudet &c. Ergo.
Majoris Consequentia ex proximè præcedentibus patet. Mi-
nor etiam exemplo aliquo fuit probata. An vero hodiernum
talis differentia locum habeat , non immeritò quis dubitare pos-
set , quia in der Ordnung des Regiments de anno 1500. genera-
liter tantum dicuntur die Reichs-Städte / idque confirmare videtur
nuperrimus Imperii Recessus , ubi in fine dicitur : Geben in un-
serer und des H. Reichs-Stadt Regenspurg / quæ tamen inter liberas
Imperii Civitates communiter numeratur? Sed R. I. Quod vocab.
Reichsstadt sit vocab. Generis, ideo etiam de Liberis Imperii Ci-

B

vita-

vitatibus tanquam specie rectè potest prædicari. 2. Quod in allegato Imperii Recessu distinctio ista sæpius fuerit observata; Et 3. Quia adhuc hodiè tales dantur Civitates, cui non omnia Statuum Jura competunt, quale exemplum habemus in *Civitate Northusana*, ratione Executionis Criminalis, quam non suo solùm nomine, sed Imperii primariò atque Comitatus de Hohenstein, qui hodie est Comes Schwartzenburgicus, tanquam Præfetti Imperialis, facere tenetur; Ergo etiamnum differentia ista non frustranea aut sublata esse videtur.

QUÆST. III.

An Sponsalibus de præsentibus cum duabus contractis, priora sint præferenda, etiamsi posteriora per Nuptias & benedictionem sacerdotalem fuerint consummata? Aff. de J. Canonico: Neg. de J. Hodierno.

Duplicem in J. Canon. Sponsaliorum esse respectum, ut quædam dicantur de Futuro, quædam verò de Præsentibus, nemo ibit inficias. Illa nihil aliud sunt, quam promissiones de futuro matrimonio ineundo; Hæc autem sunt ipsum matrimonium jam contractum, nondum tamen consummatum, & hinc eundem effectum ac ipsum matrimonium producant, ita ut non solùm obligationem ad matrimonium per solemnitates Ecclesiasticas

siasticas, & insequentem cohabitatiouem consummandum operentur, verum etiam intercedente mutuo dissensu dirimi nequeant. Ac licet quis cum alia itidem Sponsalia de presenti contrahat, attamen priora dissolutis posterioribus praevalent, *cap. Duobus, l. x. de Sponsa duorum.* Rationem hujus decisionis eam assignant Dd. quod in plurimis J. articulis sponsa cum uxore comparetur; Sicuti autem aliquis duarum uxorum maritus esse non potest, & contra; Ita nec duarum Sponsarum Sponsus & vice versa. Qui itaque primae fidei dedit, secundae desponderi nequit & e converso, cum prius vinculum liget, Ergo sequens nullius erit momenti. Procedit porro haec assertio, etiam si ad posteriora copula carnalis intervenerit, quia & hic J. Civilis regula obtinet, quod nim. Sponsalia atque nuptias non concubitus, sed consensus faciat. Sed quid si Sponsalia posteriora per nuptias & benedictionem Sacerdotalem fuerint consummata, an & hoc casu sint annullanda & priora potius preferenda? Equidem J. Canon. non uno in loco affirmativè respondet per text. express. in *cap. Si inter 31. x. de Sponsal. cap. licet praeter, 3. & cap. tunc dudum, ult. x. de Sponsa duorum.* qui textus J. Ctos etiam celebriores in suam trahunt sententiam, adeo, ut Sacrilegii instar habeant, contra illos disputare, & in Consistoriis contrarium pronunciare. Rationes autem, quare opinionem hanc tam pertinaciter defendant, illas adferunt: 1. Quod Sponsalia de presenti quoad effectum indissolubilitatis pro vero habeantur matrimonio; Cum vero manifestum sit, ut, qui unam habet uxorem, non possit desuper ducere aliam; Ideo etiam ille, qui jamdum Sponsalia de presenti contraxit, non potest ea cum alia persona reiterare, quia nullo nituntur fundamento, nec per benedictionem sacerdotalem possunt corroborari, sed perinde habentur, ac si nunquam intercessissent. 2. Objiciunt, quod si posteriora sponsalia preferantur prioribus, eo ipso fenestra aperiatur ad varia flagitia, dum quisque cum alia per benedictionem sacerdotalem sponsalia

contrahens, hoc modo à priori conventionem se liberare possit, quod tamen maximè est præcavendum. Ut tacitus præteream rationes complures alias, quibus sententiam suam immotam, reddere conantur, de quibus in conflictu, *σὺν Θεῷ*, videbinus. Quanquam verò Jus Canon. in quibusdam causis, propter majorem, quam præ se ferre videtur æquitatem, magnam obtineat auctoritatem, & J. Civili præponderet; attamen in tantum non valet, ut ab ejus dispositione ne latum, quod dicunt, unguem recedere liceat, quippe cum apud omnes in confesso sit, utrumque Jus non aliter valere, quàm quatenus benignè est receptum. Sicuti autem J. Civili non in omnibus statuitur, sed in multis per aliam Legem scriptam aut Consuetudinem contrariam ipsi fuit derogatum; Ita etiam nihil obstat, quò minus æquitate exigente à J. Canon. dispositione recessus fieri queat. Hinc minus habet dubii, quare insignes Jcti in hac proposita quæstione, non obstante expressa J. Canon. decisione, negativam tanquam æquiores amplexi fuerint sententiam, strenueq; asserant: *Sponsalia posteriora per benedictionem sacerdotalem consummata non esse rescindenda*, moti rationibus sequentibus: 1. Quod manifestum sit, matrimonium hodie non haberi pro vero & perfecto, nisi benedictione Sacerdotali, quæ pro essentiali ejus requisito habetur, fuerit consummatum, ita, ut hac deficiente, etiam effectus completi matrimonii cessent. Sicuti verò id, quod perfectum atque omnibus numeris absolutum est, præfertur minus perfecto; Ita etiam Sponsalia posteriora, quibus præter contrahentium consensum benedictio quoque Sacerdotalis accessit, merito præferuntur prioribus, cum, secundum illud brocardicon: *Duo vincula plus ligent quàm unum*. 2. Quod major injuria cedere debeat minori, & minus malum ad majus collatum bonitatis quandam habeat rationem; Ita etiam Sponsalia priora cedere debent posterioribus. Minor enim injuria est, fidem priori Sponsæ datam fallere, quàm post matrimonium consummatum, & sic re non amplius integra, illud dissolvere. Injuria enim propter fidem non servatam, si conferatur cum ea, quæ uxori marito relicto contingeret, exigua sanè est, vel nulla. Illa enim ejus conditionis est,

est, ut possit pensari, adeoq; æquiori animo toleranda: Hæc verò compensationem non admittit; Læsa namq; pudicitia est, cui, si uxor à Marito segregetur, nulla ratione satisfieri potest. 3. Considerandum etiam, quod per rescissionem consummati hujusmodi matrimonii scandalum præbeatur maximum. Quid enim turpius excogitari potest, quàm tale matrimonium, quod per benedictionem sacerdotalem à Deo ipso quasi consecratum est, tam leuiter dirimere, & mulierem, quæ multos annos cum viro cohabitavit, & ex eo Liberos suscepit, ab eo iterum dimittere. Cæterum quod rationes in contrarium adductas concernit, ad illas, & quidem ad 1. R. Concedendo, Sponsalia de præsentì quoad effectum indissolubilitatis cum matrimonio coincidere, attamen pro vero Conjugio hodiè neutiquam haberi, sed evidentissimum inter ea discrimen esse, ideoq; facilius sponsalia quàm nuptias posse dissolui. Neq; etiam 2. ratio tanta est, ut nostram infringat sententiam. Malo enim huic metuendo haud difficilè via præcidi potest, si digna in eos statuatur pœna, qui bina ejusmodi sponsalia præsumunt contrahere. Apparet itaq; majori æquitate *nostram*, quàm J. Canon: niti sententiam, & *secundum illam in Serenis-cc simi Principis ac Dn. Dn. CHRISTIANI-cc ERNESTI, March. Brandenb: &c. Domini-cc mei clementiss. Consistorio Illustri non ita pridem-cc respossum fuisse percepi.*

QUÆST. IV.

An Computatio Canonica sit
irrationabilis, nec in decisione
Causarum matrimonialium
toleranda? Neg:

B 3

Non

Non omnibus nobis Uxores ducere licere, sed à quarundam Nuptiis certis de causis esse abstinendū, nemini non erit notissimum. Inter iustas autem abstentionis causas potissimū refertur Cognatio, eaq; ratione tum Consanguinitatis, tum Affinitatis. Utraq; pro diversitate Juris certis inclusa est cancellis atq; gradibus, juxta quos matrimonium contrahendum videtur esse permissum aut prohibitum. Quo verò de cujusq; prohibitione seu permissione eò clariùs constet, peculiaris quædam computandi gradus ratio à J. Civili est adinventata, quam postmodum imitatum est Jus Canon. verum modo numerandi diverso. Uti enim Jus Civile in Linea tam Recta quam Obliqua, eaq; vicissim tam Æquali, quam Inæquali unam solummodo observat Regulam: *Quot nim. sunt generationes, tot etiam esse gradus*: Ita Jus Cano. Regulam eandem videtur quidem retinere; Sed in Linea Transversali ratione tum Æqualitatis, tum Inæqualitatis duas alias solet constituere regulas, quarum tenor apparebit in sequentibus. Magna autem inter Dd. agitur Controversia: *An Computatio ista sit rationabilis, Et in Cognitione causarum matrimonialium J. Civili preferenda atq; observanda.* Equidem plurimi Jctorum illam maximæ absurditatis arguunt, idq; respectu utriusq; Computationis. Quod enim Regulam Lineæ Rectæ concernit, quæ ita sonat: *Quot sunt personæ, tot sunt gradus, unâ demta seu sublata*; Eam propterea dicunt ineptè esse conceptam, quia absurdū sit, tot numerare gradus, quot sunt personæ, cum gradus sit distantia ab una persona ad aliam, adeoque duæ personæ unum constituent gradum; Præterea etiam monstrò simile, stipitem, per quem reliquæ personæ, de quarum quæritur cognatione, junguntur, velle subtrahere, & ita filium dare, qui non numeretur à Patre, aut Patrem, qui non descendat ab Avo, & sic in cæteris. Sed quanquam hæ rationes primâ fronte satis appareant speciosæ, ipsimet tamen Adversarii facilem responsionem nobis præbent, & sic proprio gladio se jugulare videntur, dum concedunt, quod Computatio Canonica à Civili in effectu nihil differat, sed cum ista coincidat. Quod enim una persona in computando adimatur, hoc non eum habeat sensum, quasi nullus planè respectus habeatur ad

com-

communem stipitem, & sic etiam non opus fuisset prædictæ regulæ specialiter inferere, ut adimatur; Sed ad evitandam istam absurditatem, ne videl: revera tot constituentur gradus, quot sunt personæ, subtractio tantummodo fiat mentalis, adeoq; realiter & effectivè cum J. Civili amicè conspiret. Consequens nunc est, ut ad Lineam Obliquam accessum faciamus, ejusque *duas Regulas* penitiùs consideremus: Utramque autem non minori ac antecedentem scaterè absurditate multi Jctorum acerrime propugnare conantur. Et *primam* in linea Æquali, quæ sic effertur: *Quot gradib9 una persona distat à Communi Stipite, tot gradib9 inter se distant;* propterea absurdam esse autumant, quia ipsum J. Canon. gradus fundat in generatione, E. necessum quoq; est, tot constituere gradus, quot sunt generationes, uti schema annexum declarat.

Andreas

Johannes	Christophorus.
Jacobus	Susanna.

Hic cum quatuor sint generationes, quatuor etiam deberent numerari gradus, & sic Jacobus à Susanna non secundo juxta J. Canon. utpote quæ generationes ex uno tantummodo latere numerat, sed quarto distaret gradu. *Alteram Regulam* in Linea Inæquali quod attinet, ea ita se habet: *Quot gradibus persona remotior distat à Communi stipite, tot gradibus inter se distant;* Hanc ideo absurdissimam esse dicunt, quia hoc modo una persona à multis inæqualiter distans, distaret æqualiter. Et deniq; quod juxta computationem istam permissum sit ducere eam, quam nec J. Divino ducere licet, talem nim. personam, quæ proximè subest stipiti & ita mihi Matris loco est, ac vice versa. Cum enim J. Canon. in quarto solum gradu matrimonium indistinctè prohibeat, per *cap. Non debet, 8. x. de Consang. & Affinit.* E. in reliquis gradibus illud indistinctè concedere videtur uti ex schemate proposito dilucidius apparet.

Christianus

Petrus	Sophia.
Paulus.	
Johannes.	
Jacobus.	
Andreas.	

Ite

Iste Andreas cum à Christiano tanquam stipite, distet gradu quinto non prohibito, & secundum jam proposita unius tantum lateris attendatur numeratio; E. potest ducere Sophiam, quæ ipsi instar Matris est. Verum rationes istæ hætenus recensitæ tanti ponderis non sunt, ut prædictum J. Canon. veræ alicujus absurditatis convincere possent, quin potius cum Theologis celebratissimis, & Jctis quibusdã solidioribus constanter asserimus, *computationem illam neutiquam esse absurdam, aut ineptam.* Quod enim Absurdum Imum ratione computationis ab uno tantum latere institutæ concernit, ista non eò tendit, quasi generationes multiplicare & ex duabus unum efficere satagat; Sed quia propositum fuit J. Canon. præter prohibitionem J. Divini & Civilis, ulterius prohibere nuptias; Ideò nihil interesse censuit, an respectus distantia habeatur unius personæ ad alteram, sed sufficere, si ex inquisitione unius lateris appareat, an de personis istis matrimonio jungendis, una earum ratione stipitis, propter cujus propinquitatem aut distantiam nuptiæ sunt vel permissæ aut prohibitæ, consistat in gradu concesso vel prohibito. Reponit nobis ad hanc datam responsionem Magni nominis Jctus, (1.) Quod ista computandi ratio in nullo J. sit fundata, & sic non indignè illud vulgare opponatur: *Erubescimus sine Lege loqui.* (2.) Quod ipsa etiam Experientia reclamet, quâ quæritur: *Wie nahe der Contractanten einer dem andern verwand seye?* Ast nec istæ oppositiones fundamentum nostrum destruunt. Respondemus enim 1. Quia computandi modus dependet ab Arbitrio humano, ideò J. Canon. minimè fuit adstrictum, hac in parte J. Civile sequi, si modo illius computatio non repugnet principiis naturalibus. 2. Verba illa *wie nahe/ &c.* nullum planè modum præscribere, quomodo videl. Cognationis proximitas sit dijudicanda, an ex respectu personarum conjungendarum ad se invicem habito, an verò communis stipitis, & cum prior modus à J. Civili in causis matrimonialibus observetur, quid, quæso, obstat, quo minus & J. Canon. singularem computandi modum constituere potuerit. Porrò ad *Regulam 2dam* Respondemus, quia hic distantia non ratione personarum inter sese contrahendarum, sed ratione stipitis attenditur, proindè etiam

etiam nullum absurdum esse, ut una persona à multis inæqualiter distans distaret æqualiter. Ultimum verò dubium quod spectat, & Negando, quod Jus Canon. omnem conjunctionem in quinto gradu simpliciter concedere, & ita respectum illum, quo se habent ut parentes & liberi, excludere voluerit; Contrarium namq; apparet ex *cap. Literas tuas. 13. in verb. quos Lex divina prohibuit, x. de Restit. Spoliat.* ubi expressè vetat, mixtionem viri cum muliere, quæ ipsi consanguinea est in tali gradu, qui lege divina est prohibitus. Cum igitur in suprâ alleg. *cap. 8. x. de Consang. & Aff.* prohibitionis ejusmodi nulla fiat mentio, merito eam adhuc præsupponere censetur. Luce itaque meridiana clarius apparet, Computationem Canon. haud esse irrationabilem, sed optima niti ratione, ita, ut contrarium asserturus, similis sit ei, qui Solem meridie lucere, vellet inficiari. Cæterum fatemur *Computationem Civilem longè esse faciliorem atq; expeditiorem*, & sic non injustè illi præferendam; Attamen cum omnis Innovatio & Confusio summò studiò sit vitanda, nec ea, quæ certam semper habuerunt interpretationem, temerè immutanda: Iccirco etiam Canon. computatio in Locis illis, ubi semel est recepta, rectè retinetur ac usurpatur.

QUÆST: V.

An Oblatio atque Obsignatio Pecuniæ debitæ sistat omnem usurarum cursum? Aff.

Varios in J. nostro Civili constituendæ obligationis esse modos, varios quoq; ejusdem dissolvendæ, omnibus omnino, qui limis saltem oculis doctrinam Juris inspexerunt, constare arbitror. Illi considerantur, quatenus oriuntur ex facto vel licito, vel illicito, & hinc resp. istius facti diversi, diversus etiam fit dissolvendi modus. Ad prioris generis dissolutionem pertinet SOLUTIO, quæ est vel NATURALIS, uti sumitur in *pr. J. quib. mod. soll. obl. item, l. solu-*

C

1479.

*ram, 49. ff. de solut. vel CIVILIS, cujus itidem variæ sunt species, quas inter numeratur OBLATIO DEBITI, quæ itidem duplex est: SIMPLEX sive NUDA; qn. scl. Debitor simpliciter debitum offert: Vel NON-NUDA s. SOLENNIS, qua nim. præter oblationem accedit quoq; debiti apud Magistratum obsignatio ac depositio, & per hanc plenissima debiti contingit liberatio, l. obsignatione, 9. C. de solut. l. nec creditores. 10. in f. C. de pigner. act. Secus verò se res habet in oblatione minus solenni s. nuda, quæ liberationem quidem debiti non operatur, producit tamen alios effectus, quorum unus, ut per eam sistatur usurarum cursus; Quales autem usuræ hic veniant intelligendæ, de eo ferram contentions reciprocant Dd. Plurimi enim distinguunt inter usuras ex conventionem & ex mora debitas: Circa has iterum an mora ista ex interpellatione, an vero ex re ipsa sit contracta; Et cum sola oblatio moram ex interpellatione contractam purget, l. si servum, 91, §. sequitur, 3. ff. de V. O. l. qui decem, 72. pr. ff. de solut. Ideò usuras etiam propter illam debitas tollet. Quod verò usuras ex conventionem, itemq; ex ea mora, quæ re contrahi dicitur, attinet, eas per nudam oblationem minimè cessare statuunt. Ratio hujus assertionis isthæc est: quod per solam oblationem, causa harum usurarum, quæ est tum obligatio, tum præsumtio usus & perceptio fructuum, non tollatur. Cui opinioni hac in parte & nos adstipulamur. Præterea alii per nudam oblationem usuras quoq; promissas ideò deficere autumant, quia per offerentem non stet, quo minus fortis solutio fiat. Ast &. rationem istam minimè concludere; Cum enim hic non cesset præsumtio usus, per consequens nec usuræ cessabunt, & debitor sibi imputare tenetur, quod ad elidendam præsumtionem istam non melius sibi prospexerit. *Quid si verò præter oblationem accesserit etiam obsignatio Debiti à Judice, vel personarū ab eo ad hunc actum deputatarum facta, Debitor autem, melioris fortè affecurationis gratia, vel alia de causa, ne scl. pro depositione aliquid exsolvere teneatur, (qualis consuetudo in Provincia Saxo-Altenburg. obtinet, ubi pro depositionis recognitione 5. gr. ejusq; custodia pro floreno 2. S. sunt persolvendi; vid. Tax. Altenb. 1649.) pecuniam obsignatam iterum recipiat ac retineat, an & tunc plena ab usurarum præstatione**

con.

contingat liberatio? R. *Affir.* Et melioris illustrationis ergo præsupponimus fundamentum usurarum, quò intellectò, resolutio quæstionis propositæ sua quasi sponte fluere videtur. Constat autem, quod usuræ ob duplicem causam debeantur: vel ut pœna, vel ut compensatio usus. Priorem causam cum sola oblatio, *secundum antea dicta*, tollat, multo magis hoc procedere existimamus, si illi obsignatio quoq; fuerit addita. Quod verò usuras in compensationem usus debitas attinet, quia per ejusmodi obsignationem deficit præsumtus Rei usus, E. etiam usuræ, licet promissæ, deficiunt. Eadem tamen requisita, quæ aliàs accedente depositione requiruntur, propter rationis paritatem hîc necessaria esse statuimus. Cœterum non obstant J. textus, in quibus præter oblationem atq; obsignationem etiam depositio Debiti exigitur. Nos distinctione dubia illa expedire conabimur: An nim. Obsignatio Debiti facta fuerit ab ipso debitore, & tunc sine depositione cursum usurarum neutiquam cessare asserimus, quia hic adest præsumtio, quod debitor pecuniam illam pro lubitu resignare, eaq; donec à Creditore accipiat, uti frui, hancq; de novo obsignare potuerit: An verò obsignatio celebrata sit ab ipso iudice, aut personis ab eo deputatis, & tunc usurarum præstationem, licet debitor pecuniam obsignatam recipiat, deficere censemus, si modò solutione postmodum factâ appareat, sigilla minimè esse læsa, & ita pecuniam in eo statu, quo tempore obsignationis fuit, adhuc mansisse. Creditor autem, qui rei usu interea carere debuit, sibi ipsi imputare tenetur, quare debitum oblatum absque justa causa acceptare recusaverit, aut debitorem ritè assecurare detrectaverit. Quod si verò accidat, ut Debitor iniquum quid postulet, animoque malevolo, donec controversia in iudicio finiatur, solutionem differat, tunc eò casu pecuniæ obsignatio cursum usurarum nullo modo impedire valet, ne malitia Debitoris ipsi commodo, Creditori autem damnosa sit, nisi probaverit, se non animo defraudandi ac distrahendi debiti causa hoc fecisse, quod prudenti iudicis arbitrio determinandum relinquimus.

C 2

QUÆST.

QUÆST. VI.

An Filius teneatur conferre
sumtus studiorum, si Pater eos
in librum rationum redegerit,
aut specialiter consignave-
rit? Neg.

Duplicem Militiæ esse significationem : unam, quæ Sagata, & alteram quæ Togata appellatur, vel illis etiam, qui literaturam elegantiorum nondum degustarunt, non potest esse non notissimum. Utriusq; in J. nostro Civili maximum esse favorem, privilegia illa atq; Jura singularia, quibus universum J. volumen quasi est repletum, sufficienter comprobatum dant. Et quidem illius Parentes Romani tantam habuerunt curam, ut ipsis antiquior fuerit quam charitas Liberorum, *l. 19. §. 7 ff de capt. & postlim revers.* sed nec hujus, Militiæ videl. Togatæ, minor fuit Authoritas, siquidem multa privilegia, quibus milites gaudent sagati, attributa etiam fuerunt Togatis. Ut enim illorum bona collationis oneri fuerunt exempta, ita etiam horum, & quæ sunt alia, è quibus convenientia illa deduci possit, quæ tamen, tanq. extra scopum, merito hic sicco pede præterimus. Imprimis autem favor sese exserit peculiaris ratione sumtuum studiorum causa à Parentibus erogatorum, quos filius nequiquam conferre tenetur, nisi comprobatum fuerit, eos non donandi, sed credendi potius animo fuisse suppeditatos, uti evidentissimè declarat *L. Quæ Pater, 50. ff. Famil. hercis* unde autem animus iste colligi poterit, de eo inter Dd. adhuc controvertitur. Plurimi enim exindè probare conantur, si nim. Pater sumtus illos in rationes datorum & acceptorum redegerit & adnotaverit, idque argumento à verosimili desumpto, quod scilicet non alio fine hoc factum fuisse colligere liceat, quam ut conferantur : Et hanc opinionem,
Ratio

Ratio tum Naturalis, tum Civilis stabilire videtur. Prior quidem ideò, quia durum quodammodo, *uti in quaest. Ima dict.* eos, quos natura æqualiter produxit, inæqualiter succedere, & sic ipsum patrem æqualitatem istam inter Liberos servare voluisse, regulariter præsumendum. Huic accedit altera ratio Civilis, ubi considerandum, an quis versetur in lucro captando; an vero in damno vitando, & secundum respectum istum interpretatio quoq; voluntatis facienda. Jam vero Filius Studiosus, qui recusat conferre ea, quæ studiorum causa accepit, de mero lucro captando videtur esse sollicitus, dum pro pecunia subministrata tale sibi bonum comparavit, quod ipsi aliquando fructum adfert uberrimum; Econtra autem reliqui Liberi de damno solum vitando contendunt, quod certè non censetur esse exiguum, cum nemini fermè absq; magnis sumptibus ad summum eruditionis culmen pervenire contingat. His itaq; positis, indubitatè sequitur, talem à Patre factam consignationem nihil aliud quam conferendi animum inducere, qui licet expressè non fuerit declaratus, attamen secundum jam præmissam hypothesein implicitè venit intelligendus, & juxta eundem meritò etiam judicandum. Quamvis verò opinio ista strenuos habeat Assertores, contraria tamen Juri & Æquitati magis conveniens videtur. Manifesta namq; *J. regula est: Filius sumtus studiorum non tenetur conferre.* Hæc tam diu habet locum, donec contrarium non ex nudis & dubiis conjecturis, sed indicis probeatur certissimis. Hinc si Pater sumtus in Librum Rationum referat & consignet, nullus exindè conferendi animus evinci potest, siquidem aliàs providi Patres familiarum rationem datorum & acceptorum servant, & sic in dubio est, quonam fine consignatio ista fuerit instituta, quod cum non appareat, & regulariter contra eum interpretatio fieri soleat, qui rem potuisset exponere clarius atq; apertius, (*prout videre licet in Disp. nostra DE CULPA IMPUTAT. sub moderamine Excellentiss. Dn. D. Beieri, Præceptoris nostri honorandi, annò præteritò conscriptâ*) meritò statuitur Regulæ, & præsumptio posterior, tanquam fortior, priorem tanquam debiliorem excludit. Neq; adversatur quicquã allegata Ratio Naturalis, quæ in se aliàs vera manet, nisi huic per contrariam *J. præsumptionem*, qualis h. l. insignis studio-

studiorum favor, derogetur. Non infringit quoq; sententiam nostram adducta Ratio Civilis. Negamus enim, quod filius censeatur locupletior, cum sumtus isti tempore collationis non amplius sint in bonis ejus, sed consumti, licet occasione illorum doctior aut melior ex disciplinis evaserit. Insuper exemptio ista collationis pro vero damno neutiquam est habenda, quia aliàs permissum est Parentibus, salvâ liberorum legitimâ de bonis suis pro lubitu disponere, & cum eô casu nihil de his, quæ Jure ipsis debentur, detrahatur, E. nec ullum damnum sentire intelliguntur. Præterea confirmat nostram sententiam, non modò vulgatum istud J. Axioma: *Favorabilia semper esse amplianda*; verùm etiam Salus tum Publica, tum Privata. Si enim illi, qui studiis se se manciparunt, immunes sunt ab onere collationis, hoc ipso filii procliviores redduntur ad sectandas artes liberales, per quas Respublica & Familia ornamenta atque incrementa sentit maxima. Illa quidem ideo, quia ipsi interest, Cives habere virtuosos ac eruditos. Hæc verò propterea, quod talis filius, qui successu temporis ad officium aliquod secundum studiorum præmia promovetur, universam Familiam in tantum juvare poterit, ut, cujus nomen planè fuit obscurum, postmodum fiat clarissimum, & cui antea res angusta domi, dehinc existat opulentissima, uti exempla quotidie obvia id satis ostendunt. Cæterum nec hæc opinio suis destituitur Defensoribus fortissimis, quos inter suo merito principem locum tenet *Magnificus Dn. Præses*, Patronus noster uti hætenus certissimus, ita devota animi veneratione etatè prosequendus, in Comment. ad AUTH. HABITA (quæ non indignè studiorum Asylum vocari potest) Cod. Ne fil. pro Patr. Privil. 6. n. 7. It. B. CARPZ. Jpr. F. p. 3. C. 11. Def. 20. Qui tamen hanc SUBNECTIT LIMITATIONEM: Nisi Pater sumtus istos non in Librum Rationum quotidianum, (in das Tage-*Büchlein*) sed specialiter in peculiari libello in hunc finem confecto, ut de expensis pro filio constare queat, consignaverit. Sed quod & hæc præsumtio eadem qua prior laboret debilitate, prolixè non minus, quàm acutè demonstrat prælaudatus *Dn. Præses* alleg. loc. quo cum consentit etiam SERENISS. SAXON. ELECTOR Decis. L. ad quam B. L. hac vice remittimus.

QUÆST.

QUÆST. VII.

An Concessio Expectativæ
(Expectanz oder Anwartschaft auff ein
Lehen) repugnet bonis moribus,
nec legaliter possit subsi-
stere? Neg.

Inter præcipua Reipubl. conservandæ fulcra communiter & illud
accenseri solet: ut mali non solum pœnis, verum etiam benè me-
riti dignis afficiantur præmiis. Quod posterius tum Jcti edecu-
mati, tum Politici celebriores pro insigni Principis ornamento po-
nunt, nec quicquam Majestatem ejus magis condecorare statuunt,
quàm si in tribuendis beneficiis & præmiis suam declaret Munifi-
centiam & in recipiendis obsequiis nullam præ se ferat cupiditatem.
Cum enim ille non solus omnia per agere valeat, sed ad conservan-
dam & sui & subditorum suorum salutem, ejusmodi Ministris sese
stipare cogatur, qui ipsi & Pacis & Belli tempestate adjutorio
esse queant certissimo. Ideo quò tales ad fidelitatem ac laboris
perseverantiam eò magis sibi obstringat, meritis mactare præmiis
non intermittat. Constat namq; nihil magis hominum animis im-
perare, quàm præmia, nihilq; tam munitum esse, quod per ea non
possit expugnari, prout *exemplum quoddam publicum,*
quod ante paucos annos *in vicinia nostra* contigit, id ipsum
reddit verissimum. Sæpius autem evenire solet, ut illud, quo aliis
benefacere destinavimus, nondum sit in manu nostra, sed expectan-
dum, donec ad nos aliquando redeat; Iccirco ad contestandum prom-
tum gratificandi animum locò præstationis alicujus realis promit-
timus interea, fore, ut existente tempore illo res ista ad eum dein-
ceps devolvatur, quæ promissio in Jure Feudali *Expectativa*
nomine venit indigitanda. Acre verò inter Dd. certamen est, an
tal

talis concessio in benè constituta Republ. sit toleranda atq; approbanda? Quidam enim eam tanquam naturæ & bonis moribus repugnantem planè damnant, dum nim. votum captandæ mortis alterius per se & semper inducat. Quam opinionem stabilire videtur tum Jus CIVILE, quod *ejusmodi pactiones odiosas, plenasq; tristissimi & periculosi eventus* appellat. *L. fin. C. de pact. & neg; civile neg; naturale esse* judicat, *casum adversamq; fortunam spectari hominis liberi. L. 83. §. 1. ff. de V. O.* Porro quod talis concessio impediatur etiam liberam testandi facultatem, quæ tamen omnibus facta tecta esse debet, *L. 1. C. de SS. Eccles.* Tum Jus CANON quod in *c. 2. x. de Concess. Præbend.* ita pronunciat: *Turpe est, & divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia Dei futurae successionis Expectatio habeat. conf. c. 2. & 3. x. eod. in 6.* Quæ omnia iniquitatem hujus concessionis reddere videntur manifestissimam. Verùm rationes istæ omnes nihil nos morantur, quò minus in Adversariorum castra abeamus, & eorum rationibus tanquam firmioribus confidenter adhæreamus. *Primo* enim negamus, prohibitionem quandam conventionis de futura successione in bona alterius ex dictamine naturæ fluere, aliàs enim sequeretur, quod nec illæ conventiones, quæ eo etiam consentiente, de cujus agitur successione, fiunt, de J. possint subsistere, cui tamen contrariatur, *d. l. fin. C. de pact.* Et per consequens cæteri quoq; actus, qui spem alterius successionis præbent, & à J. Civili magno labore sunt excogitati, corruerent ac evanescerent. *Secundo* itidem negamus, talem concessionem, per se præbere captationem mortis alterius, *boc est*, ut concessa ejusmodi Expectativa non possit non votum captandæ mortis alterius necessariò induci ac subsequi. Istud enim de quovis hominum genere regulariter & promiscuè præsumere, res sanè pessimi exempli esse videtur, quin potius contrarium semper sentiendum atq; colligendum. Et licet propter corruptam quorundam naturam per accidens interdum eveniat, ut concessio hocce beneficio mors alterius acceleretur & exoptetur; Inde tamen nullo modo concludi potest, E. Concessio Expectativæ minimè est concedenda, sed simpliciter improbanda. Idem profecto est, ac si dicere vellem: Ex Mercatura, Societate, aliisq; conventionibus interdum oriuntur frau-

fraudes, dissidia, lites &c. E. illorum usus absolutè est prohibendus. Nihil namque in universa hac universi Machina excogitari potest, cujus bonitas à depravata mortalium voluntate in usum quandoque non trahatur illicitum. Præterea *non infringunt* etiam *opinionem nostram Jura antea allegata.* R. enim *ad ea I. Generaliter*, negando scilicet consequentiam illam: Pacta de futura successione in bona adhuc viventis J. Civil. & Canon. improbantur, E. etiam de J. Feudali nequeunt subsistere. Cum enim J. Feudale separatam à Juribus prædictis constituat speciem, & in plerisque diversam induat naturam, quid, quæso, obstat, quominus & hac in parte contrarium statuere potuerit? *II. R. distinctè & specialiter*, & quidem *ad dubia J. Civilis* asserendo cum STRUVIO MAGNIF. *Antecess. Inclytæ Salanæ nostræ hætenus celeberrimo, nunc verò Serenis. Saxon. Ducum, Lineæ Vinariensis, Consiliario Camerali Aulico, & Consistorii Supremi Adfessori gravissimo, (cujus benevolentiam singularem, quæ me per biennium, quo hic loci S. Themidi litavi, præ cæteris est amplexus, non possum non publicè gratissimamente deprecare, maximamq; felicitatis in e partem constituere, si quid vicissim me præstare posse intellexero, quod gratum ipsi aut jucundum futurum sit.)* SYNTAGM. FEUD. cap 7. apb. 5. n. 4. p. m. 218. Prohibitionem illam *d. l. fin. C. de pact.* non simpliciter nudam mortis captandæ occasionem spectare, sed singulare procurandæ mortis votum ex istius actus circumstantiis respicere, idq; duplici de causa: Spè nim. tum Commodi, dum metu incommodi, & hoc iterum vel ex parte ipsorum paciscentium, vel ex parte Domini jus illud succedendi per contrariam dispositionem intervertere valentis, cui accedit clandestinitas actus, quæ consilii malignitatem in manifestum Domini periculum mox prorupturum prodit. Malo igitur huic præveniendò Imperator noster Sacratissimus JUSTINIAN, talem constitutionem emisit, quæ cum in casu solùm speciali ob causas jam recensitas sit introducta, meritò his deficientibus ipsa quoq; dispositio cessabit. Neutram autem harum causarum in Expectativam nostram cadere, ex sequentibus patebit: (1.) Enim licet hic adsit spes commodi, quæ mortis desiderium inducere videtur, exclu-

D dit

dit tamen præsumtionem hanc persona Domini, qui non censetur
ejusmodi beneficium tam malæ frugis homini conferre, à quo Va-
sallo postmodum vitæ periculum imminet præsentissimum.
(2.) Excluditur etiam metus incommodi, idq; tum à parte ipso-
rum paciscentium, quorum etiam heredes regulariter obligantur,
tum à parte Vasalli, qui per contrariam dispositionem factæ con-
cessionis neutiquam potest præjudicare. (3.) Neq; animus aliquis
dolofus indè elici potest, quod conventio ista ignorante aut invito
possessore forsitan fuerit facta; Quia enim nullum Vasalli hic verfa-
tur præjudicium, ideò eò licet dissentiente negotium manifestè po-
tius, quàm clandestinè contractum existimatur. Deindè non obstat
quoq; ratio altera, quod videl. incivile sit, de alterius morte cogi-
tare. Falsum namq; est, LL. Civiles omnem mortis cogitationem
simpliciter improbare, *arg. l. 9. §. 1. in verb. quia hoc evenire posse
prospicere debuit, ff. Loc. Cond.* sed eam duntaxat, quæ cum maligno
desiderio est conjuncta, quod ex sola suspitione, nisi etiam signum
aliquod actui proximum concurrat, minimè colligere licet. Præ-
terea per talem conventionem libera testandi facultas nequaquam
impeditur, quia in illud tempus concipitur, quo utile etiam Domi-
nium ad Dominum est rediturum, & sic concessionem hanc non de
bonis Vasalli, sed de re propria factam fuisse intelligendum. Deniq;
nec *7. Canon.* dispositio opinioni nostræ quicquam adversatur, ut-
pote de beneficiis agens Ecclesiasticis, quæ scit a ullam mortis ca-
pationem sunt acquirenda. Aliud autem est in Beneficiis Secula-
ribus s. ad statum Politicum spectantibus, in quibus internæ animi
cogitationes non adeò attenduntur, sed sufficit, si modò externæ
LL. disciplinæ satisfiat, licet talis Beneficiarius in mente sua inter-
dum aliud sentiat. Satis itaq; ex hæcenus propositis constare opi-
nor, Expectativæ concessionem neq; bonis moribus, neq; LL. Civi-
libus simpliciter repugnare, eamq; in J. Feud. noñ modò expressè
fuisse approbatam *per text. l. F. 3. 9. 27. §. si quis investierit. ll. F. 26.
§. 2. it. ll. F. 35. vers. ubi vero.* sed etiam à communi Feudistarum
schola & autoritate Insignium Jctorum strenuè propugnata, &
& sic ab omni iniquitatis labe penitus esse liberam.

QUÆST.

QUÆST. VIII.

An Consuetudo Juris Retra-
ctus propter vicinitatem (der
Vor- oder Näher-Kauff) ad Res quo-
que Feudales sit extenden-
da? Resp. Aff.

Extra omnem dubitationis aleam positum esse arbitror, sum-
mum cujusq; Reipubl. scopum eò semper collimare, ut non
tam de amplificatione, quam de sua potius conservatione pri-
mariò sit sollicita. Hinc etiam omnia media, quibus finis iste com-
modè potest obtineri, summo studio indagare ac consequi non de-
sistit. Inter illa verò, secundum omnium Politicorum calculum,
non infimum locum tenet vinculù istud adamantinù *Concordia*,
tam inter eas personas, quæ ipsi Reipubl. præsent, quam inter pri-
vatos nullo non tempore conservanda atq; propaganda. Docet
namq; Historia, optima illa Rerum omnium Magistra, minorem
sæpè Reipubl. hujus beneficio satis validam fuisse debellando ma-
jori: Cujus Rei clarum exemplum nobis præbet *nuperrimum*
Bellum Turcicum. Ibi licet maximum periculum imminere
videbatur Germaniæ nostræ fortissimæ; attamen *Concordia*
Imperatoris Invictissimi LEOPOLDI, tan-
quam Capitis, cum Statibus potentissimis, tan-
quam membris, tantum effecit, ut binis partis Victoriis
Hostis ille Christiani Nominis infensissimus non modo Pacem an-
xiè petere coactus fuerit, verum etiam certissima spes recuperandi
ea, quæ durante discordia Christianis fuerunt ablata, se se obtulit,
(de quo latius egimus in ORATIONE nostræ DE BELLO CONTRA TURCOS



CONTINUANDO in PHILUREA celeberrima ao. 1664. habitâ) nisi Pace
protinus subsecutâ spes ista pulcherrima fuerit interversa, ut non
immeritò illud Hannibalis huc accommodari possit: *Christiane
vincis, victoria uti nescis*. Præterea ad prædictam Reip. conserva-
tionē non minus facere videtur, ut inter privatos quoq; Concordiæ
vinculū firmissimè stabiliatur; e contra verò ea, quæ huic adverfan-
tur, modis omnibus impediuntur atq; evitentur. Jàm autem quoti-
diana edocemur experientia, multa dissidiorum genera inter Cives
ex comunione atq; vicinitate ortum trahere, proindeq; evenire, ut
propter rem quandoq; exiguam, de quo litigant in judicio, sæpius
totam aut majorem substantiæ suæ partem perdant, & consequen-
ter ipsi *Reipubl.* (utpotè cui *interest Cives habere divites*) damnum
fermè irreparabile attrahant. Cui malo remedendo introducta est
non modo in *Gallia, Hispania & Italia*, sed & in plerisq;
Germania locis Consuetudo illa laudabilis, qua nim.
permittitur, ut si quis rem suam, domum, agrum, vel prædium
quoddam velit vendere extraneo, vicino liberum sit, datò eodem
pretiò venditionem istam retrahere, & ita rem istam suo adjun-
gere, quæ consuetudo communi nomine *Jus Retractus*
(*der Vor-oder Nacher-Kauff*) appellatur. Dubitari verò solet
à Dd. *an Jus istud ad Res quoq; feudales sit exten-
dendum*. E. G. Si in Pago quodã duo vel plura sint Prædia
Feudalia, quorū unum alter Vasallorum vult vendere extra-
neo, quaritur hinc, an alteri vasallo vicino Jus Retrahendi
comperat? *Ratio dubitandi* *Ima est*: Quod sub generali appel-
latione bonorū non veniant bona feudalia: Ideo etiam h.l. censentur
esse exclusa. II. Quia talis consuetudo est contra dispositionem
J. Communis, per consequens strictissimè interpretanda. III. Quod
diversa planè natura sit Rerum Allodialium & Feudalium, E. ex jam
præsupposito nulla ad eos extensio facienda. IV. Quod talis con-
suetudo vergat in præjudicium *tum Domini*, utpotè qui
eum admittere tenetur in Vasallum, quem aliàs nollet, & exindè
sequeretur, quod talis Vasallus vicinus feudum suum alienare possit
irrequisito etiam Consensu Domini: *Tum Vasalli*, qui aliquid
invi-

invitus facere compellitur, dum ipsi non permiffum est vendere
 rem suam cui velit, cum tamen quilibet Rei suæ moderator atque
 arbiter esse debeat, *l. 21. C. mand.* Verum *rationes decidendi*
 ad dubia hæc allata in promptu sunt. & enim I. Regulam hanc: sub
 generali bonorum appellatione Feudalia non comprehendi, eate-
 nus procedere, si ipsa rerum natura repugnet, ut illud, quod de Al-
 lodialibus solum venit intelligendum, ad res etiam feudales exten-
 datur, uti *exemplum* ab ipsis Adversariis subjectum declarat: *Si nim.*
quis fecerit Testamentū, in eog, dixerit: Omnia mea bona relinquo Titio;
 Ibi sub generali bonorum appellatione non statim comprehendun-
 tur Bona Feudalia, quia natura eorum non permittit, ut de illis pro-
 lubitu disponat. Aliter autem se res habet, ubi omnium eadem est
 ratio, tunc enim, quod sub generali appellatione ista excipienda sint
 bona feudalia, nobis non possumus persuadere. II. Concedimus
 Consuetudinem nostram strictè esse interpretandam, ita nim. ut
 punctum rationis propter quam est introducta, non excedat, & ex
 interpretatione ista absurdum aliquod sequatur, aut jus tertii læda-
 tur; Cum vero neutrum (*uti in sequentibus apparebit*) nobis obtru-
 di possit, quid ergo obstat, quo minus ad Res Feudales quoque licita
 fiat extensio. Ipsimet namque Dissidentes concedunt, quod stante
 consuetudine, quæ admittit Jus Retrahendi, propter Consanguinita-
 tem indefinite & sine restrictione, ea etiam indefinita sit accipien-
 da, & tam de rebus allodialibus quam feudilibus intelligenda. Si-
 militer igitur stante consuetudine J. Retractus propter vicinitatem
 generali, nec expressè restricta, eadem ex rationis identitate, *ne vid.*
Vasallo per novum vicinum nova creentur molestia, & pradia potius
maneant unita quam divisa, ad res feudales erit extendenda, & hoc
 casu vasallus vicinus pro se habebit fundatam Juris præsumtionem,
 donec probetur contrarium. III. Non refragatur diversa Rerum
 Allodialium & Feudalium natura, si modò diversitas ista eandem
 admittat rationem; Eandem verò, quæ in allodialibus venit atten-
 denda, in rebus etiam feudilibus militare, *membr. præced.* fuit de-
 monstratum. Præterea haud fieri potest, ut, si in pago quodam
 plures sint vasalli, propter communionem Juriū quorundam, qualia
 sunt in quibusdam locis, *preprimis in Patria mea suavissima,* Jus Pa-
 tronatus, Jurisdictio, Jus Venandi, Pascendi & similia, æqua semper

servetur Concordia, quin potius continuæ inter illos versentur lites, quæ vires eorum ita enervant atq; defatigant, ut exigente necessitate difficulter Domino digna præstare servitia valeant. Cum igitur hîc eadem vel major adsit ratio; ideo eadem debet etiã obtinere J. dispositio, idq; multo magis, si vicinus probare potest, prædium istud suo quondam fuisse unitum. Non enim satis credere licet, quantum momenti Reibubl. adferat illa prædiorum unitas, quia secundum istud commune: *Semper vis unita fortior*; Neque sperandum ullum Consiliarium tam perversæ mentis esse, qui Principi suo (*nisi singularis forsitan subsit ratio*) suadeat contrarium. Deinde si sola Rerum diversitas impedimento est, quo minus consuetudo ista ad res feudales possit extendi, sequitur, quod neq; in Retractu Consanguinitatis talis extensio ab Adversariis sit admitenda. IV. Negamus, quod ullo modo præjudicium fiat tam *Domino* quàm *Vasallo*. Non *illi*, quia in ejus arbitrio est, casu ita eveniente vicinum admittere vel recusare, & sic etiam consequentia illa, quod absq; ipsius consensu valeat venditio, est falsissima. Si tamen Dominus non justam habeat denegandi causam, tunc probabile est, ipsaq; æquitas efflagitare videtur, ut Dominus eum potius in Emptione feudi præferat, qui aliàs ipsi est obligatus & cujus fidem jamdum habet probatam, quàm ut quendam extraneum admittat. Et licet talis Emptor etiam sit Vasallus Domini, attamen æquum non minus ac utile est Domino, vicino magis, *ob rationes hætenus adductas*, favere quàm alii. Denique nec *Vasallus venditor* injuriam quandam patitur, aut hoc ipsò liberâ de rebus suis disponendi facultate privatur: Integrum namq; ipsi est, rem suam vel vendere vel retinere; Quod si verò prius facit, & vicinus extraneum eo casu in emptione remouet, venditori in effectu nullum fit præjudicium, dum idem pretium, quod extraneus dedisset, à vicino suo accipit. Et cum Salus Publica postulet, ut vicinus extraneo propter mala aliàs metuenda, (*de quibus numero 3. actum*) præferatur; Quilibet autem Civis obligatus sit, ea, quæ publicum commodum respiciunt, anteponeere commo privato, & hoc tantò magis si in promovendo illo nullum sentit incommodum. Ideò ipsemet venditor voluisse præsumitur, ut prædium

diūm suū vicinū potius quā extraneū acquirat; Quod si verò absq; iusta causa & ex mero odio (*uti sapius fieri solet*) illud ipsi concedere recuset, tunc eū, tanquam Salutis Publicæ osorem, auctoritate publica ad hoc cogendū esse, non immerito arbitramur. Neque iuvat quicquam, si alter Emtor sit Agnatus venditoris, modò Prædium istud Feudale non sit Antiquum, sed Novum, in quo, *juxta propriam Dissidentium opinionem*, Agnatus nondum habet jus aliquod quæsitum, & sic vicinus propter potius Jus non indignè præferendus. Cæterum licet Princeps aliquis, donec vicinus jus sibi competens sufficienter probet, interea venditioni in Extraneum aut Agnatum factæ propter importunas quandoque tam Emtoris quā Venditoris efflagitationes consenserit, aut consensus iste per sub: & obreptionem impetratus fuerit; Illò autem postmodum probatò, quin concessio talis justè revocari possit, nulli dubitamus: Principem enim ea, quæ Justitiæ & Æquitati adversantur, minimè facere velle credendum est. Ad lucem igitur Solis expositum esse arbitramur, Consuetudinem Juris Retractus propter vicinitatem æquè de Rebus Feudalibus ac Allodialibus esse exaudiendam atq; interpretandam.

QUÆST. IX.

An Consuetudo illa, ut novus Pastor Antecessoris sui viduam aut Filiam relictam in uxorem ducat, sit tolerabilis? Aff.

Pia sanè, omniq; laude deprædicanda est *Consuetudo* illa, quæ in quibusdam Germaniæ Civitatibus tam Immediatis, ut RATISPONÆ, NORIBERGÆ &c. quam Mediatibus, ut LIPSIAE, aliisq; observatur: ut *si quendā Animarū Pastorem fædus natura solvere contingat, tunc vidua ejus ac Orphani relictæ*
cer.

certam quot annis pensionem accipiant, de qua alimenta sibi necessaria comparare, nec stipem ostiatim cogere teneantur. Constat namque, Salaria Pastorum plerumque tam exigua & modica esse, ut vix ac ne vix quidem sustentationi commodæ sufficiant, multò minus ut tantum lucri facere queant, quantum ad nudam vitæ sustentationem fatis sit. Cum verò neminem lateat, Fiscum Ecclesiasticum, unde talis pensio regulariter sumitur, in Pagis & Villis per diuturnas proh dolor! belli calamitates ad extremam inopiam fuisse redactum, & exiguum illud, quod restat, aut aliàs ipsi obvenit, in necessariam Rerum Ecclesiasticarum refectioem cæterasque expensas inevitabiles esse collocandum; Ideò ne cura Personarum ejusmodi miserabilium in his etiam locis insuper planè habeatur, alia in Provinciis quibusdam, ut in DANIA, HOLSATIA, MARCHIA, aliisque, *Consuetudo* est introducta, quoniam disponitur: *ut ambienti Parochiam vacantem, ea non prius conferatur, quam si Antecessoris defuncti Viduam aut unam de Filiabus relictis* (quarum optio stat apud novum Successorem) *in matrimonium ducat.* Et hæc Consuetudo licet summanitatur æquitate; Reperiuntur tamen multi è Dd. qui eam, tanquam impiam & profanam penitus execrantur, quorum argumenta sunt sequentia. I. Quod talis Consuetudo pugnet cum institutione ministerii & vocatione Presbyterorum, dum ea persona hoc modo promovetur, quæ ad officium minus habilis, & per consequens ipsi Ecclesiæ damnosa. II. Necessitatem Ministerii Candidatis imponat vivere in matrimonio, quod tamen ab omnibus Augustanæ Confessionis addictis meritò improbatur, & contra Pontificios, qui eo nomine grandem nobis dicam scribere contendunt, graviter negatur. III. Adversetur etiam matrimonii naturæ, utpote cujus electio semper debet esse libera; Econtra ex matrimonio invitè quasi contracto nil nisi rixæ, litigia aliæque mala expectanda, quæ Ecclesiæ scandalum præbent maximum. Sequitur E. quod talis Consuetudo nullo modo sit toleranda. Et hæc argumenta absolute considerata fatis ponderosa videntur, verum positâ nostrâ hypothesi apparebit, ea opinioni contrariæ tanquam æquiori nihil derogare, aut eandem infringere posse. *Imò enim ne-*
gamus

gamus consuetudinem istam repugnare Institutioni ministerii. Præ-
supponimus namque, ut omnia illa requisita prius concurrant, quæ
alias in legitima Ministrorum vocatione exiguntur, qualia præci-
pua sunt: 1. Personæ habilitas, & 2. Ecclesiæ in eandem consen-
sus. Quod verò præter ea talis etiam conditio fundata in singu-
lari Viduarum & Orphanorum favore, nec non gratitudine erga
defunctum Pastorem, adponatur, hæc ipsa ordinarius vocationis
modus neutiquam vitatur. *Idò* itidem negamus, quod Con-
suetudo ista necessitatem quandam universalem matrimonii ineun-
di inducat. Malè enim infertur: Hæc Parochia non potest obti-
neri nisi tali cum conditione, E. in reliquis etiam, quæ vacant hi-
sce personis, necessariò requiritur, ut quis simul uxorem ducat.
Egregia certè consequentia! Deinde Conditio illa ita potest re-
stringi: Si nim. novus Successor in cœlibatu vivere nolit, tunc Vi-
duam aut filiam relictam personæ extraneæ præferre teneatur. E-
xindè autem *Idò* minimè sequitur, E. hoc casu præjudicium fit
libertati matrimoniali. Est enim in ejus arbitrio, an Parochiam ta-
lem acceptare, an verò aliam absque vidua aut filia vacantem ex-
pectare velit. Quod cum voluerit antecedens, præsumitur ipsum
spontè voluisse etiam consequens. Nec obstat, quod ex hujusmo-
di matrimonio multa mala interdum eveniant, hoc namque fit per
accidens & dantur media quibus facilè illa possunt impediri; Sicuti
autem matrimonium propterea non prohibetur, quod istius oc-
casionem committantur interdum adulteria: Ita etiam Consuetudo
talis, quæ dissidiorum causam præbet solùm per accidens, non sta-
tim est tollenda. Ut tacitus præteream insigne commodum, quod
novo Pastori per istud conjugium certò futurum est, dum hæc vi-
dua aut filia propter accuratam Redituum cognitionem rem fami-
liarem præ extraneam multò potest reddere auctiorem atque locu-
pletiosem. Et hanc opinionem in tantum procedere asserimus, ut
si concurrant duo Competitores habiles, quorum unus amat cœ-
libatum, tunc alterum, qui unam de personis sæpius memoratis du-
cere cupit, illi esse præferendum. Si verò prædefunctus Pastor filium
quoque habilem reliquerit, eo casu hunc extraneo anteponendum
esse non iniquè censemus, quia hic majorem reliquorum liberorum
curam habere intelligitur, quàm extraneus. Videt igitur L. B.

E

Con-

Consuetudinem talem haut improbandam esse, sed in Provinciis illis, ubi haecenus in usu fuit, porro observandam.

QUÆST. X.

An Jus Retorsionis in Jure Detractionis atque Emigrationis (Abzug / Nachsteuer / Abfarth) locum habere possit? Aff.

Accedimus demum ad ultimam Disputat. nostræ quæstionem, circa cujus electionem licet diu animus in bivio constitutus fuerit herculeo; attamen summa illa *Magnif. Dn. Præsidis* humanitas, uti aliàs in promovendis studiis meis paternam semper adhibuit curam & sollicitudinem; ita & hoc in casu tenuitati meæ dubiè huc illuc fluctuanti subvenire, ac frequentissimas *Juris Detractionis & Emigrationis* materias suppeditare non dedignata fuit. Quarum illa est, quando de hereditate aliò transferenda Magistratus certam detrahit summam, aut ab ejus perceptione Extraneum quendam planè excludit; *Hæc* autem, qn. cives aut subditi in aliam Provinciam migraturi pensionem certam exsolvere tenentur. Cum verò jura ista, *juxta omnium Pragmaticorum assertionem*, non ubivis Locorum in usu sint, sed ibi solum exercentur, ubi statuto aut consuetudine sunt recepta; Hinc operæ pretium esse existimavimus, hac de re sequentem, quamvis præfiscini, formare quæstionem: *Si nim. eveniat, ut Subditus aut Civis cujusdam loci, in quo jura prædicta observantur, acquirat hereditatem aliquam in eo loco, ubi jura illa non vigent, an Magistratus iste Jure Retorsionis uti, & sic tantum de bonis obvenientibus decerpere queat, quantum alter Magistratus vigore statuti sui aut consuetudinis introductæ aliàs detrahere solitus fuisset. ET an idè procedat in Jure etiã Detractionis?* R. Aff. I. Quia commune Juris Divini

Divini pariter & Naturæ principium est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hoc expressè confirmat tum J. CANON. *cap. 6. x. de Constitut. can. 1. Distinct. 1.* tum J. CIVILE, & quidem in ipsa statim rubricâ *Tit. 2. ff. Quod quisq; Juris in alium statuerit, ut ipse eodem jure utatur.* Ideò si in Provincia quadam extet statutû aliquod derogans J. Comuni (quale est illud in Gallia & Bohemia usitatum, ubi extranci ab omni hereditatis acquisitione penitus arcentur; *It. ut Cives aliò migraturi certam pecuniæ summam præstent*) & in damnum alterius Provinciæ per consequentiam resultans, tunc hæc Provincia, casu quodam obveniente idem jus, quod alibi obtinet, exequi poterit. II. Quod maximè iniquum sit, ut quis cum alterius damno locupletior fiat; Hoc autem revera contingit, si Provincia aut Civitas aliqua hereditates ad se devolutas absq; ullo onere auferat, idè tamen in suo territorio fieri, lege aut consuetudine prohibeat. Ad compensandam igitur inæqualitatem istam Retorsionis jus alteri Provinciæ justissimè competere, nemo sanæ mentis ibit inficias. Antequam verò Jus istud usurpetur, necessarium omninò putamus, ut Consuetudo contraria adversus talem Provinciam semel sit exercita, aut licet nondum fuerit factum, imposterum tamen veniat metuendum, præsens hereditas non priùs liberè transmittatur, aut subdito abiturienti venia concedatur, nisi altera Provincia aut Civitas Antigrafo, aut Literis, *ut vocant,* Reversalibus caverit, se Jure hoc singulari erga Provinciam aut Civitatem istam nunquam usuram. Quod postulatum uti æquitati conveniens, ita ejusdem denegatio summè iniqua, & propterea alio medio legitimo, (quale est præmemoratum Retorsionis jus) debita satisfactio quærenda. Sed hæc de jure jam jam laudato ea, qua fieri potuit, brevitate delibasse sufficiat. Coeterum quamvis non desint rationes, quæ remedium istud iniquitatis alicujus redarguere possent, quia verò paginæ angustia non permittit eas singulatim exponere; iccirco de illis in conflictu uberius sumus acturi.

*Interea hic receptui canimus, agentes DEO
OPT. MAX. gratias nunquam
intermorituras.*

No.

Nobilissimo Dn. à Püchel /

Publicè Disputaturo

F E L I C I T E R !

Inclyta dum MAGNI PATRIS vestigia calcas,
Comprecor, ut gressus dirigat alma Trias.

*Affectui, & quidem singulari testando L. Mg.,
adponebam*

Joh. Ern. Gerhardus, SS. Theol. D. PP. & h. t.
Academ. Rector.

Disticha bina petis, sed disticha bina Labori
Non poterunt laudes solvere rite tuo.
En breve sed Majus referam Vestigia MAGNI
Clara premet PATRIS Filius hicce sui.

Ex animo Nobil. atq; Eruditè Docto Dn. Autor gr.

P R Æ S E S.

Qui nitidis plantis scatet undique COLLIS amœnus
Commoda terrigenis fundere mille solet.
COLLIS es omnigentum virtutum flore nitescens,
Quid ni mox *Patrie* Commoda mille feras.
Illud ut egregie tua dissertatio monstrat;
Sic mille ut fructus, apprecor, huic capias.

Gratulab. deprop.


Erhardus Weigelius P.P.

Dum videt illustres calidis amplexibus arteis
Autorem PALLAS excoluisse sagax,
Ast dubium reputans, ubi sint aliquando laborum
Præmia; sis curis, quæso, solutus ait:
Nam desiderio flagrans velut ominor, AULA
Splendida præ reliquis Te BYRUTHINA manet.

*Nobilissimum Dominum Autorem extemporaneo hoc, quan-
tumvis levidensi, honorare L. Mg. voluit*

Johannes Grajus, pt. Inclytæ Academiæ Jenen-
sis Secretarius.

F I N I S.




ULB Halle
005 132 436


3



V017







1667, 18 ~~3, 410~~
~~34~~ 19
185

ante Christo!

TIO JURIDICA.

ontinens

ADEM

ONUM ILLU-

RIUM,

Quam

ytæ Facult: Jurid:

PRÆSIDIO

TOPH. PHILIPPI

ti, Com. Pal. Cæs.

ubl. Facult: Jurid. Ordinarii,

ic Scabinatus Adlefforis
graviff.

Doctoris sui etatem vene-
prosequendi,

um Ventilationi exponit

RHARD. A. PÜHEL

UTOR.

b. Ao. clb lbc LXVII.

E N. Æ,

INIS VVERTHERI.